FABVLARVM POETICARVM P. OVIDII META-MORPHOSI DESCRI-ptarum

INTERPRETATIO ETHI-ca Phyſica & Hiſtorica

Autore

GEORGIO SABINO.

LIBER IV.

FAB. I. II. ET III. AT NON &c.

De Decreti in Piſcem, Semiramide in colum-bam, & Najade in piſcem.

Ebrietatis gradus.

PLato conſtituit ebrietatis quaſi quosdam gradus. *Qui*
1. *bibit vinum (inquit) primò alacrior fit, quàm prius erat:*
2. *Deinde quo plus biberit, eò maiore ſpe eſt, & fortius de ſe*
3. *ſentit: Tandem quaſi ſapiens, ea confidentia, libertate, & audacia repletur, ut intrepidè dicat ac faciat, quicquid velit.* Propter hos gradus Poetæ attribuunt Baccho caput virgineum & cornua. primùm enim vino moderatè ſumpto homines efficiuntur quaſi virgines, hoc eſt, hilares & manſueti: immodicè deinde ſumpto, efficiuntur beſtiæ, ſumunt cornua, hoc eſt, ferociunt: iuxta verſiculum: Tunc pauper cornua ſumit.

Cur Poetæ attribuunt Baccho caput virgineum & cornua.

Lycurgus hoſtis Bacchi quomodo dicatur.

LYCVRGVM] *Lycurgus rex Thraciæ, ut ſuos populos ab immani conſuetudine perpotandi reduceret ad ſobrietatem, interdixit eis uſum vini, exciſis etiam & extirpatis vineis*